



## The Holy See

---

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *SANCTI GEORGII IN INSULA GRENADA (PONTIPOLITANAE-REGALITANAE)\** DIVISA DIOECESI SANCTI GEORGII IN INSULA GRENADA, QUAE DENIQUE SANCTI GEORGII VULGO «SAINT-GEORGE'S IN GRENADA» APPELLABITUR, NOVA DIOECESIS CONSTITUITUR

«PONTIPOLITANA-REGALITANA» COGNOMINANDA. Cum et nobis, quemadmodum et beato Petro Apostolo, immensa Dei bonitate mandatum sit ut universi gregis christianorum curam habeamus, ideo quicquid christiani populi progressui conducere videatur, id Nobis admodum cordi est. Quam ob rem, cum ad christianam religionem intendendam, Sacro Consilio Christiano Nomini Propagando, post auditos venerabilem Fratrem Aloisium Barbarito Archiepiscopum titulo Florentinensem atque Apostolicum in Antillis Delegatum, necnon Metropolitanam et Ordinarium quorum intererat, visum esset bene fieri, si divisa dioecesi Sancti Georgii in Insula Grenada, nova ibi conderetur, Nos hanc sententiam in omnibus confirmantes et ratam habentes, Nostra suprema potestate haec statuimus atque iubemus. A dioecesi Sancti Georgii in Insula Grenada, quae dehinc Sancti Georgii vulgo Saint-George's in Grenada appellabitur, territorium separamus quod complectitur insulas Barbatam, Sanctum Vincentium necnon Grenadinenses septentrionales, nempe vulgo Bequia, Canouan, Mustique et Union; quibus omnibus novam condimus dioecesim *Pontipolitanam-Regalitanam* appellandam eamque Ecclesiae Metropolitanae Portus Hispaniae suffraganeam reddimus. Dioecesis autem Sancti Georgii constabit deinceps ex insulis vulgo Grenada et Grenadiensibus meridionalibus, nempe vulgo Carriacou, Petite Martinique et Rhonde. In nova dioecesi Episcopi cathedra erit in Ecclesia Sancti Patritii in civitate Pontipolitana et Concathedra in Ecclesia Assumptionis B. M. V. in civitate Regalitana. Concedimus tandem ut pro Canonorum collegio Consultores dioecesani deligantur, Episcopum consilio et ope ad iuris normas iuvaturi. Ceterum has Litteras Nostras ad exitum adducet venerabilis Frater Aloisius Barbarito, vel per se ipse vel per quem delegaverit, factis ad id necessariis facultatibus. Re vero acta, documenta exarentur, quorum sincera exempla ad Sacram Congregationem pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide quam primum mittantur. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel

corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae apud S. Petrum, die septimo mensis martii, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo, Pontificatus Nostri septimo.*

ALOISIUS Card. TRAGLIA <i>S. R. E. Cancellarius</i>	GREGORIUS Card. AGAGIANIAN <i>S. Congr. de Prop. Fide Praefectus</i>
--	---

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens* Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Protonot. Apost.*

Iosephus Massimi, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LXII (1970), n. 12, pp. 813-814 © Copyright 1970 - Libreria Editrice Vaticana